

nio Agnelli. Certe in editione Bacchiniana non paucae lacunae occurrunt, & praesertim in postremis Archiepiscoporum Vitis, in quibus tamen curiosus Lector ab Agnello teste oculato plura expectabat. At nunc vadem me praefeo, nihil in textu Agnelli immutatum, nihil additum, aut demtum. Qualia in Codice Estensi inventi Bacchinius, integra ea evulgavit; ac propterea antiquioribus temporibus lacunae illae tribuendae. Serius autem didicimus, in Vaticana quoque Bibliotheca alterum Agnelli Codicem M8tum adservari. Sitne ille recentis manus, an Estensi vetustior, ignotum mihi. Denique, ut hoc etiam moneam, Vitam S. Barbatiani *ex antiquo Ravennate Lectionario* edidit Bacchinius in Appendice. Mirari subit, cur non & Codicem ipsum Agnelli in Estensi Bibliotheca existentem laudarit, ubi post ejus Pontificale eadem Vita una cum aliis priorum praeſulum Ravennatum legitur, & quidem emendatior, quam edita ex Codice Ravennate. Has ego emendationes adjunxi. Reliquas autem Vitas, aliaque monumenta ad Ravennam spectantia, & in Estensi Codice scripta, praetermissa quidem a Bacchinio, sed plane digna quae ederentur, ego in nostram collectionem suo loco inferam. Sed jam audiatur Bacchinius ipse de Agnello, ejusque erroribus fusius agens.